



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXI. De neglectu omnis creaturæ, vt creator poßit inueniri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

tare. Verumtamen iustus sum, & commendabilis multum, quum sic facio totum.

6 Si rectè sapis, & in veritate aspicias, numquam debes propter aduersam deiectè contristari, sed magis gaudere, & gratias agere: imò hoc vnicum reputare gaudium, quòd affligens te doloribus, non parco tibi. *Ioñ. 16.* Sicut dilexit me Pater, & ego vos diligo, dixi dilectis discipulis meis: quos vtrique non misi ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina: non ad honores, sed ad despectiones: non ad otium, sed ad labores: non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum, inpatientia. Horum memento, filii mi, verborum.

## CAP. XXXI.

*De neglectu omnis creaturae, vt creator possit inueniri.*

**D**OMINE, benè indigeo adhuc maiori gratia, si debeam illuc peruenire, vbi me nemo poterit, nec vlla creatura impedire. Nam, quàm diu res aliqua me retinet, non possum libe-

liberè ad te volare. Cupiebat liberè  
 volare, qui dicebat : Quis dabit mihi *Pf. 54.*  
 pennas sicut columbæ, & volabo, &  
 requiescam ? Quid simplici oculo *Mat. 6.*  
 quietius ? Et quid liberius, nil desi-  
 derante in terris ? Oportet igitur om-  
 nem supertransire creaturam, & seip-  
 sum perfectè deserere, ac in excessu  
 mentis stare, & videre, te omnium cõ-  
 ditorem cum creaturis nil simile ha-  
 bere. Et nisi quis ab omnibus crea-  
 turis fuerit expeditus, non poterit li-  
 berè intendere diuinis. Ideò enim  
 pauci inueniuntur cõtemplatiui, quia  
 pauci sciunt se à perituris & creaturis,  
 ad plenum sequestrari.

2 Ad hoc magna requiritur gratia,  
 quæ animam leuet, & suprâ semetip-  
 sam rapiat. Et nisi homo sit in spiritu  
 eleuatus, & ab omnibus creaturis li-  
 beratus, ac Deo totus vnitus : quid-  
 quid scit, quidquid etiam habet, non  
 est magni ponderis. Diu paruus erit,  
 & infrâ iacebit, qui aliquid ma-  
 gnum æstimat, nisi solum vnum im-  
 mensum, æternum bonum. Et quid-  
 quid Deus non est, nihil est, & pro  
 nihilo computari debet. Est magna

differentia, sapientia illuminati & deuoti viri, & scientia literati atque studiosi clerici. Multò nobilior est illa doctrina, quæ de sursum ex diuina influenza manat: quàm quæ laboriosè, humano acquiritur ingenio.

3 Plures reperiuntur contemplationem desiderare, sed quæ ad eam requiruntur, non student exercere. Est magnum impedimentum, quia in signis & sensibilibus rebus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid est, quo spiritu ducimur, & quid prærendimus, qui spirituales dici videmur: quòd tantum laborem, & ampliorem sollicitudinem, pro transitoriis & vilibus rebus agimus, & de interioribus nostris vix rarò, plenè recollectis sensibus, cogitamus.

4 Proh dolor, statim post modicam recollectionem foras erumpimus: nec opera nostra, districta examinatione trutinamus. Vbi iacent affectus nostri, non attendimus: & quàm impura sint omnia, non deploramus.

Gen. 6. Omnis quippe caro corruerat viam  
 & 7. suam,

suam, & idè sequebatur diluuium magnum. Cùm ergo interior affectus noster multùm corruptus sit, necesse est, vt actio sequens, index carentiæ interioris vigoris, corrumpatur. Ex puro corde, procedit fructus bonæ vitæ.

Quantum quis fecerit, quæritur: sed ex quanta virtute agit, non tam studiosè pensatur. Si fuerit fortis, diues, pulcher, habilis, vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator, inuestigatur: quàm pauper sit spiritu: quàm patiens & mitis: quàm deuotus & internus, à multis taceretur. Natura exteriora hominis respicit, gratia ad interiora se conuertit. Illa frequenter fallitur, ista in Deo sperat, vt non decipiatur.

### C A P. XXXII.

*De abnegatione sui, & abdicatione  
omnis cupiditatis.*

**F**ILI, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges te ipsum. Compediti sunt omnes proprietarij, & sui ipsius amatores,

Matt.  
16. &  
19.